

2007 TSJCL
Latin III Sight Recitation Passage

pantomīmus quīdam nōmine Pyladēs epistulam ad Augustam, uxōrem imperātōris, scrīpserat, in hāc epistulā erant multa verba amōris. Augusta igitur, cum epistulam lēgisset, ērubuit, atque epistulam cōnfestim complicātam in mēnsā posuit; nam imperātōrem et libertum eius Pallantem intrantēs cōspexerat. imperātor nihil animadvertit, sed Pallās rubōrem dominae suae vīderat. cum epistulam quoque in mēnsā iacentem cōspexisset, eam abstulit. Augusta autem nihil dīcere poterat, quod imperātor aderat; nam īram eius timēbat. deinde Pallās coēgit Augustam omnia sua scelera adiuvāre. Augusta eī placēre volēbat nē ille epistulam imperātōrī ostenderet. tandem Augusta ministrīs suīs imperāvit ut epistulam clam reciperent. conclāvia Pallantis īnspiciēbantur, fidēs servōrum temptābātur. Pallās ipse in viā oppugnātus ā ‘latrōnibus’ nūdātus est. sed Pallās epistulam tam bene cēlāverat ut eam invenīre nōn possent. ‘epistula,’ inquit Augusta, ‘in tablīnō cēlāta est; nam Pallās hinc ad tablīnum rēctē contendit; tablīnum dīligentius īnspiciendum est; pulvīnos scindite, mēnsam et sellās disiungite, laqueāria rumpite!’ hīs tamen omnibus factīs epistulam invenīre nōn poterant.